

nus ait: *Non veni solvere legem, sed adimplere*; ille qui excluderetur a lege, purgari se Domini potestate praesumens, non ex lege, sed supra legem esse gratiam iudicabat, quae leprosi maculam possit ablueri. Verum ut in Domino potestatis auctoritas, ita in illo fidei constantia declaratur. Ille in faciem procidit, quod humilitatis est et pudoris, ut unusquisque de suae vitae maculis erubescat. Sed confessionem verecundia non repressit, ostendit vulnus, remedium postulavit: et ipsa religionis et fidei plena confessio est: *Si vis, inquit, potes me mundare*. In voluntate Domini tribuit potestatem, de voluntate autem Domini non quasi pietatis incredulus dubitavit, sed quasi colluvionis suae conscius non praesumpsit.

911 *Et extendens manum tetigit illum dicens: Volo, mundare. Et confestim lepra discessit ab illo*. Nihil medium est inter opus Dei atque praeceptum: quia in praecepto est opus. Denique dixit et facta sunt. Vides igitur quod dubitari non potest quia voluntas Dei potestas est. Si ergo voluntas eius potestas est, qui unius voluntatis asserunt, unius utique, asserunt potestatis. Itaque quasi habens potestatem sanandi, et iubendi auctoritatem, operandi testimonium non refugit. Volo enim dicit propter Fotinum, imperat propter Arium, tangit propter Manichaeum. Et lex quidem tangit leprosus prohibet: sed qui Dominus legis est, non obsequitur legi, sed legem facit. Non ergo ideo tetigit, quia sine tactu mundare non poterat, sed ut probaret quia subiectus non erat legi: nec contagium timebat ut homines, sed quia contaminari non poterat, qui alios liberabat, lepra tactu Domini fugeretur, quae solebat contaminare tangentem. Simulque illud mirabile, quod eo sanavit genere quo fuerat obsecratus. *Si vis, potes me mundare*. Volo, inquit, mundare.

Habes voluntatem, habes etiam pietatis affectum.

Et ipse praecepit illi, ut nemini diceret. 912 Quare praecepit nemini dicere, nisi ut doceret non vulganda nostra beneficia, sed premenda? ut non solum a mercede abstinere pecuniae, sed etiam gratiae.

Sed vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tua, sicut praecepit Moyses in testimonium illis. Ostendere se sacerdoti iubetur, ut intelligeret sacerdos eum non legis ordine sed gratia Dei supra legem esse curatum. Offerre autem sacrificium, ut ostenderet Dominus, quia legem non solveret, sed implet: qui secundum legem gradiens supra legem sanaret eos, quos remedia legis non sanaverant. Et bene addidit in testimonium illis: hoc est, si Deo credant, si impietatis lepra discedat. Quod si quem movet, quomodo Dominus Mosaium videatur approbare sacrificium, cum id non receperit Ecclesia, meminerit nondum esse coepisse sacrificium sanctum sanctorum, quod corpus eius est. Nondum enim obtulerat in passione holocaustum suum. Non autem oportebat auferri significantia sacrificia, prius quam illud quod significabatur, confirmatum esset contestatione Apostolorum praedicantium et fidei credentium populorum. Quia vero typice vir iste peccatis languidum designat genus humanum, recte non solum leprosus, sed et plenus lepra describitur: *Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei*, illam scilicet, ut extenta manu Salvatoris: hoc est, incarnato Dei Verbo, humanamque contingente naturam a erroris prisci varietate mundentur, possintque cum Apostolis audire: *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*: et qui diutius abominabiles a populi Dei erant castris secreti, iam aliquando tempore reddi, et sacerdoti queant offerri, illi utique cui dicitur: *Tu*

es sacerdos in aeternum. Audientes ab Apostolo: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*. Offerantque pro emundatione sua sicut praecepit Moyses, id est, exhibeant corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Verum merito quaeritur, quidnam sit quod Dominus nonnulla, quae gessit, abscondi iussit, et nec ad horam potuerunt abscondi. Numquid enim unigenitus Filius Patri et Spiritui sancto coaeternus, hac in re velle habuit, quod implere non potuit? Sed notandum quod Redemptor noster per mortale corpus omne quod egit, hoc nobis in exemplo actionis prae-buit. Miraculum namque faciens et taceri iussit, et tamen taceri non potuit: ut videlicet electi eius exempla doctrinae illius sequentes, in magnis quae faciunt latere quidem in voluntate habeant, sed ut prosint aliis prodantur inviti: quatenus et magnae humilitatis sit, quod sua opera taceri appetunt, et magnae sublimitatis sit, quod eorum opera taceri non possunt. Non ergo Dominus voluit quidquam fieri et minime potuit, sed quid velle eius membra debeant, quidve de eis etiam nolentibus fiat, doctrinae magisterio exemplum dedit.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

(DE FESTIS DOM., LIB. 1, CAP. 2, N. 49).

XLIX.

914 TRADIT etiam Epiphanius, Haer. 51, num. 29 et 30, eodem Epiphaniae die, quo ut monimus aequae in vinum conversae memoriam celebramus, illud etiam Christum Dominum edidisse miraculum, ut quidam fontes et omnes singulis annis vino manarent: *Non dubium est, quarta die Tybi secundum Aegyptios Salvatoris ortum accidisse. Sub idem vero postea tempus trigesimo anno veritate primum in Cana Galilaeae miraculum editi, non cum ex aqua vinum est factum. In cuius rei fidem hodieque pluribus in locis idem quod olim factum est prodigium instauratur; idque ipsum fontes fluviique testantur passim in vinea conversi. Cuius*

modi ad Cybaram Cariae Oppidum fons est, qui eodem illa hora, qua Ministri aquam hauerant, ac Salvator dixit, date Architrachino, in vinum vertitur. Idem et in Geraseno Arabiae fonte contingit. Nos ex Cybryae illo fonte, fratres nostri ex Geraseno potavimus, qui in Martyrio est. Plerique vero idem et de Nilo Aegypti fluvio confirmant. Quae causa est, cur Tybi undecimo omnes in Aegypto aquam hauriant ac reservent, idque aliis in locis fieri assolet. Casanbonus, exercit. 13 in Barion, num. 22, pag. 246, etsi secta Calvinianus, nec ita pronus ad credenda miracula, minime tamen miraculo illi, de quo Epiphanius, fidem ausus est abrogare. Et Bailletus ad sextum diem Ianuarii, § 4, ait, quasdam quidem esse aquas acidulas, fossiliumque per quae flumot vi praeditas, quae vini colorem saporemque imitentur, adeo ut etiam facultatem habeant inebriandi; qui tamen propterea miraculo, quod Epiphanius scribis gravibusque verbis tradit sua ipsius experientia eductus, elevare velit fidem, cum a temeritatis nota minime liberat. Adde, quod ex Epiphanius narratione inferri videtur, vinum illud prodigio factum, elapso festo, in pristinam aquae formam redire. Ita Bailletus, loc. cit. Eosdem fontes, ex quibus non amplius aqua, sed vinum scatebat, Baronius commemorat, ad ann. Chr. 31, num. 33, ubi ita animadvertit: *Ceterum de dictis fontibus diversis locis positus, vinum scaturientibus, nullum antiquorum, qui ante Christum vixerit, auctorem mentionem fecisse, memini me legisse: ut plura intelligas, ea omnia virtute huiuscemodi Christi miraculi facta esse.*

FERIA SEXTA

Homilia S. Ioannis Chrysostomi.

IN MATTHAEUM HOMILIA 26.

LEPROSUS quidem, cum descendisset de monte, accessit: hic vero centurio, postquam intrasset in Capharnaum. Cur ergo, neque hic neque ille in montem accesserunt? Non ob negnitiam: nam uterque fide ardebat; sed ne docentem interpellarent. Accedens autem dixit: *Puer meus tacet in domo paralyticus, et male torquetur*. Quidam dicunt eum, ut sese excusaret, causam dixisse, cur eum non adduxisset. Non enim poterat, inquit, paralyticus qui

torquebatur, et extremum iam efflabat halitum gestari. Nam cum iam in extremis fuisse narrat ita Lucas: *Et moriturus erat* (Luc. vii, 2). Ego vero id puto signum esse magnae illius fidei, et multo maioris, quam eorum qui per tectum demiserunt (Marc. ii, 4). Quia enim probe sciebat solo Domini praecepto iacentem surgere posse, superfluum putabat esse ipsum adducere. Quid igitur Iesus? Quod nusquam fecerat, hic fecit. Cum enim ubique supplicantium voluntatem sequeretur, hic prosiluit, nec se curaturum tantum, sed domum quoque venturum pollicetur. Id vero facit, ut centurionis virtutem discamus. Nisi enim hoc promississet, sed dixisset: *Vade, sanetur puer tuus: nihil horum cognoscemus*. Id ipsum etiam erga Phoenissam mulierem fecit, etsi contrario modo (Marc. vii, 26 sqq.) Hic enim nec vocatus in domum, se esse venturum sponte dicit, ut discas centurionis fidem multamque humilitatem: in Phoenissa vero donum denegat, ipsamque perseverantem in dubium coniecit. Nam cum sagax et peritus sit medicus, contraria contrariis elicere novit. Et hic quidem per spontaneum adventum, illic vero per diurnam dilationem, et repulsam fidem mulieris aperit. Sic etiam erga Abrahamum fecit dicens: *Non celabo puerum meum Abraham* (Gen. xviii, 17): ut discas illius amorem, et quantum de Sodomis providentiam gereret. Et qui ad Lotum missi erant, ingredi domum eius nolunt, ut iusti hospitalitatem edisceres.

916 Quid igitur, ait centurio? *Domine, non sum dignus, ut intres sub lectum meum*. Audiamus quotquot volumus Christum excipere, ut nunc etiam possumus. Audiamus et imitemur, ac cum pari illum studio excipiamus: cum enim pauperem, esurientem et nudum excipis, illum et exceperisti et aluisti. *Sed tantum dic verbo,*

et sanabitur puer meus. Vide centurionem perinde atque leprosum veram de Christo habuisse opinionem. Nam et ipse quoque non dixit: *Roga; non dixit: Precare, supplica; sed solum: Impera*. Deinde timens, ne per modestiam reneret, dixit: *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit*. Et quid inde, inquires, si centurio sic suspicatus sit? Nam id quaeritur, si hoc Christus protulerit, et confirmaverit. Pulchre et admodum prudenter dicit. Ergo hoc ipsum videamus: nam inveniemus id ipsum quod in leproso hic factum esse. Quemadmodum enim leprosus: *Si vis, dixit* (neque ex leproso tantum confirmatur Christi potentia; sed etiam ex Christi voce: non modo enim eius opinionem non refutavit; sed etiam confirmavit, cum id quod superfluum videbatur esse adiecit, et dixit: *Volo, mundare, ut eius sententiam firmaret*): sic et hoc loco explorandum est, num quid simile factum sit: nam inveniemus id ipsum hic accidisse. Cum enim centurio talia dixisset, et tantae potestati testimonium dedisset, non modo non reprehendit, sed et approbavit, imo amplius quidpiam fecit. Neque solum dixit Evangelista, Christum eius dicta laudasse; sed et laudis sublimitatem indicans dixit, cum admiratum esse, neque tantum admiratum esse, sed etiam omni praesente populo, aliis exemplum dedisse, ut illum imitarentur. Videne quomodo singuli qui testificabantur ipsi, potentiam ipsius mirabantur? Et stupebant turbae de doctrina eius, quia tamquam potestatem habens docebat; nec solum non reprehendit, sed etiam cum eis de monte descendit, ac leproso mundato, illorum de se opinionem firmavit. Dicebat ille: *Si vis, potes me mundare*; nec modo il-

lum non increpavit, sed etiam ut ipse dixerat, sic ille curavit. Rursum hic centenarius dicebat: *Dic verbo tantum, et sanabitur puer meus*: et admirans ipsum dicebat: *Non inveni tantam fidem in Israel*.

917 Ut autem contrario exemplo illud ediscas: quoniam Martha nihil horum dixerat, sed contrarium: *Quodcumque poposceris a Deo, dabit tibi* (IOANN. xi, 22); non modo non laudata est, etiamsi nota Christo esset ab eoque diligeretur, et ipsa admodum coheret eum: sed etiam ab ipso emendata fuit ut quae non bene dixisset. Nam dicebat illi: *Nome dicebam tibi: Si crederis, videbis gloriam Dei?* (IOANN. xi, 40) sic illum reprehendens quod nondum credidisset. Ac rursum quia dicebat: *Quaecumque petieris a Deo, dabit tibi Deus*: illam a tali opinione abducens docensque, sibi non opus esse ut ab alio acciperet, sed esse se honorum fontem, dixit: *Ego sum resurrectio et vita* (Ibid. v. 25). Id est: Non ab alio operandi vim exspecto, sed ex meipso omnia facio. Propterea centurionem miratur, totique populo ipsum anteponit, regni honore donat, aliosque ad eum imitandum provocat. Ut vero discas ipsum ideo haec dixisse, ut ceteros ad fidem similem institueret, audi evangelistae diligentiam, quomodo nempe id ipsum subindicaverit, nam ait: *Conversus Iesus sequentibus se dixit: Non inveni tantam fidem in Israel*. Ergo magna de illo existimare, id maxime fidei est, regnumque coelorum et alia bona conciliat. Neque enim verborum tenuis ipsum laudavit, sed propter fidem eius aegrum ipsi sanum restituit, splendidamque ipsi necit coronam, ac magna promittit dona his verbis: *Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent in sinu Abraham et Isaac et Iacob: filii autem regni eiicientur foras*. Quia enim multa exhibuerat mi-

racula, cum maiori deinceps fiducia et libertate ipsos alloquitur. Deinde, ne quis putaret se ex adulatione illa dixisse, utque omnes discerent, illo vere animo fuisse centurionem, ait: *Vade; ut credidisti, fiat tibi*. Statimque ipsum opus secutum est, quod illius animum et voluntatem testificaretur. *Et sanatus est puer eius ab hora illa*. Quod etiam in Syrophenissa contigit: nam dixit illi: *O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius* (MATTH. xv, 28). Quia vero Lucas (cap. vii) hoc miraculum narrans, alia multa inserit, quae videntur aliquam offerre differentiationem; haec excutienda et solvenda nobis sunt. Quid ergo dicit Lucas? Ipsum misisse seniores Iudaeorum, rogantes ut veniret. Matthaeus vero ait accedentem ipsum dixisse: *Non sum dignus*. Quidam vero dicunt non esse eundem ipsum, etsi multa sint utrinque similia. De illo namque dicit: *Synagogam nobis aedificavit, et gentem diligit* (Luc. vii, 5); de hoc autem dicit Iesus: *Neque in Israel tantam fidem inveni*. De illo autem non dixit: *Multi venient ab oriente*, unde verisimile sit ipsum Iudaeum fuisse. Quid ergo dicemus? Sic facilem esse solutionem: quaeritur autem, utrum sit vera. Mihi certe videtur eundem ipsum esse. Quomodo ergo, inquires, Matthaeus dicentem illum perhibet. *Non sum dignus ut intres sub lectum meum*: Lucas vero ait, misisse vocatum ut veniret? Videtur mihi Lucas adulationem Iudaicam subindicare, hominesque in calamitate versantes instabiles esse, subindeque consilium mutare. Verisimile quippe est centurionem cum abire vellet detentum fuisse a Iudaeis adulantibus dicentibusque: *Nos ibimus et adducemus eum*. Vide itaque adhortationem illorum adulatione plenam. *Diligit enim, inquit, gentem nostram, et synagogam nobis con-*

struxit. Neque sciunt unde virum laudare par sit. Nam cum oportuisset dicere: Voluit ipse ire rogatum, nos autem retinimus, calamitatem considerantes et corpus illud domi iacere videntes; atque sic eius fidei magnitudinem exponere: illi utique hoc non dicunt; neque enim volebant, invidia nempe moti, viri fidem declarare: sed maluerunt eius virtutem obtegere, pro quo supplices accedebant, ne videretur magnus esse is qui rogaret, neu fidem eius praedicantes, sic rem, pro qua venerant, perficerent. Livor enim mentem excaecare solet. Sed qui secreta novit, invitis illis virum celebravit. Quod autem illud verum sit, audi Lucam ipsum interpretem qui sic ait: Illo non longe distante, misisse ad illum qui dicerent: *Domine noli vexari: non enim sum dignus ut sub tectum meum intras* (Luc. vii, 6). Cum enim a Iudaeorum molestia liber fuit, tunc misit qui dicerent: Ne putes me ex segnitie non venire; sed me non dignum existimavi, qui te recipere domi.

978 Etsi vero Matthaecus dicat non per amicos, sed illum ipsum haec dixisse, nihil id ad rem facit: quaeritur enim solum num uterque viri studiosam voluntatem declaraverit, consentaneamque circa Christum eius opinionem. Verisimile autem est, postquam amicos misisset, venisse ipsum illudque dixisse. Quod si hoc non dixerit Lucas, at neque illud Matthaecus: non quod mutuo in narratione pugnent, sed quod alter praetermissa ab altero narret. Vide autem quo pacto fidem eius Lucas alio modo praedicit dicens: *Mortuus erat puer*. Attamen neque hoc illum in desperationem coniecit, ne a spe detrusit; sed sic etiam superstitem fore speravit. Quod si Matthaecus quidem narret Christum dixisse, se tantam in Israel non

invenisse fidem, quo declarat ipsum Israelitam non fuisse; Lucas vero, ipsum synagogam aedificasse: neque haec pugnantia sunt. Potuit enim non Iudaeus synagogam struere, gentemque diligere. Tu vero ne perfunctorie dicta eius explores, sed praefecturam eius adice, et tunc viri virtutem perspicies. Etenim tantus vulgo est eorum qui praefecturas gerunt fastus, ut ne quidem in calamitatibus sese deprimant. Nam is, qui apud Ioannem memoratur, illum in domum trahit et dicit: *Descende, priusquam filius meus moriatur* (IOANN. IV, 49). Hic vero non ita: sed tam illo, quam iis, qui per tectum lectulum demiserunt, praestantior est. Non enim corporalem praesentiam requirit, neque prope medicum aegrotum detulit; id quod tamen non parvam existimationem prae se ferret; sed ea quae Deum decebat opinione fultus ait: *Dic verbo solum*. Neque initio dicit: *Dic verbo*, sed aegritudinem tantum declarat: ob magnam quippe humilitatem non putabat Christum statim rem concessurum, et domum petiturum esse. Ideo cum ipsum audivit dicentem: *Ego veniens curabo eum*, tunc ait: *Dic verbo*. Neque illum ita moeror turbavit, sed etiam in calamitate philosophabatur, non tam respiciens ad pueri valetudinem, quam ne quid ipse minus decenter faceret. Quamquam non ipse petebat, sed Christus sese obtulit: at tamen sic quoque timuit ne ultra quam dignitas sua postularet acciperet, neve rem gravem subiret. Vidistine eius prudentiam? Perpende Iudaeorum stultitiam dicentium: *Dignus est cui gratiam conferas* (Luc. vii, 4). Cum oporteret ad misericordiam Iesu confugere, illi dignitatem obtendunt, neque quo pacto obtendere oportuit sciunt. Verum non ita ille; sed se omnino indignum dicebat esse, non modo beneficii, sed etiam qui

Christum domi reciperet. Quamobrem cum dixisset: *Puer meus iacet*, non subiunxit, *Dic*, metuens, ne indignus esset tali dono: sed calamitatem solum declaravit. Quia vero vidit Christum sese ad eundem parantem, ne sic quidem ille in rem oblatam insiliit, sed adhuc in gradu sibi congruente mansit. Si quis vero dicat: Cur Christus illum non pariter honoravit? dixerim ego, magnum ipsi honorem retulisse. Primo quidem, quod animum pronamque voluntatem ostenderit, quae maxime apparuit, quia ipse in domum eius non venit; secundo, quod illum in regnum introduxerit, eumque toti Iudaicae genti praeposuerit. Quia enim se indignum iudicaverat qui Christum domi reciperet, etiam regno dignus effectus est, et eadem quae Abraham consecutus est bona. Et qua de causa, inquires, leprosus, qui his maiora exhibuerat, non laudatus est? Neque enim dixit ille: *Dic verbo*; sed quod longe maius erat, *Velis tantummodo*: id quod de Patre ait Propheta: *Omnia, quaecumque voluit, fecit* (Psal. cxiii, 3). Verum ille quoque laudatus est. Cum enim dixit: *Offer domum, quod praecepit Moyses, in testimonium illis*, nihil aliud erat quam dicere: Tu accusabis illos, quia credidisti. Alioquin non perinde erat Iudaeum, atque extraneum gentilem credere. Quod enim centurio Iudaeus non esset, id liquet vel ex eo quod centurio esset, et quod Christus dixerit: *Neque in Israel tantam fidem inveni*.

979 Eratque profecto res magna, hominem qui extra Iudaeorum catalogum erat, tanta de Christo cogitasse. Nam, ut mihi videtur, supernos ille exercitus mente conceperat; morbosque, mortem aliaque omnia ita Christo subiecta esse, ut milites sibi. Quamobrem dicebat: *Nam ego homo sum sub potestate constitutus*; hoc est: Tu Deus, ego homo: ego sub po-

testate, tu non sub potestate. Si ego igitur, homo et sub potestate, tanta possum: multo magis ipse, qui et Deus est et sub potestate non est; vult enim ex summa praeeminentia hoc illi suadere, se non simile exemplum afferre, sed rei longe sublimioris. Nam si ego, inquit, qui par subiectus sum, et sub potestate constitutus, ob parvam tamen praefecturae auctoritatem, tanta possum nemine repugnante; sed quae impero omnia, diversa licet sint, executioni mandantur: *Alii enim dico: Vade, et vadit; alii: Veni, et venit*, longe maiora tu poteris. Quidam hunc locum ita legunt: *Si enim ego homo cum sim*, et interpunctio posita subiungunt, *sub potestate habens sub me milites*. Tu vero consideres velim, quomodo ostendat ipsum etiam morti ut servo imperare, et praecipere ut dominum. Cum enim dicit: *Veni, et venit*, et: *Vade, et vadit*, id significat: Si iusseris non venire mortem super eum, non venit. Videne quam fidelis esset? Quod enim omnibus postea clarum futurum erat, omnibusque notum, hic iam palam facit, ipsum nempe habere potestatem mortis et vitae, posseque ad portas mortis deducere ac reducere. Neque de militibus solum dixit, sed etiam de servis, quod maioris obsequentiae erat. Attamen tantam habens fidem, se indignum putabat; Christus autem ostendens dignum illum esse, cuius domum intraret, multo maiora ei contulit, ipsum admirans atque praedicans, pluraque dans quam petierat. Venit enim corporis salutem pueri quaerens, et accepto regno discessit. Videne quomodo iam impletum erat illud: *Quaerite regnum coelorum, et haec omnia adicientur vobis?* (MATTH. VI, 33). Quia enim multam fidem et humilitatem exhibuerat, et coelum dedit, et pueri sanitatem adiecit: nec ipsum illo tantum modo honoravit, sed

etiam cum ostendit quibus eiectis ille introduceretur. Atque exinde omnibus notum facit, ex fide salutem esse, non ex iis quae secundum legem erant operibus. Quapropter non Iudaeis tantum, sed etiam gentibus hoc donum propositum erit; imo his potius quam illis. Ne putetis enim, inquit, id in centurione tantum factum esse, sed in toto orbe idipsum erit. Hoc autem dixit, per prophetiam de gentibus loquens, ipsisque bonam spem offerens. Etenim ex Galilaea gentium erant qui sequebantur eum. Haec porro dicebat, gentes non sinens animam despondere, Iudaeorumque factum deprimens. Ne autem his dictis offenderet auditores, neve occasionem praerberet ullam; non prius de gentibus locutus, sed occasione capta ex centurione, ne nomen quidem gentium aperte ponit. Neque enim dixit: Multi ex gentibus; sed: *Multi ex oriente et occidente*, quod gentes utique significabat, neque tamen offendeat auditores; involutum enim erat dictum. Neque hoc tantum modo lenit hanc novam insolitamque doctrinam, sed quod sinum Abrahae pro regno posuerit. Neque enim hoc ipsis notum nomen erat: magisque illos mordebat Abraham in medium adductus. Quapropter Ioannes nihil statim de gehenna dixit; sed quod magis illos pungebat attulit: *Nolite dicere, Patrem habemus Abraham* (MATTH. III, 9). Cum his aliud etiam providet, ne videatur veteri vendi instituto contrarius esse. Nam qui patriarchas admiratur, eorumque sinus sortem bonorum appellat, hanc suspensionem omnino et radicis tollit. Nemo itaque unam esse putet comminationem: duplex quippe est illis supplicium, duplex his laetitia: illis quidem, non quod exciderint tantum, sed quod ex propriis exciderint; his vero non quod sortem acceperint, sed quod quam non exspe-

ctabant acceperint: his tertia adicitur, quod hi ea quae ad illos pertinebant acceperint. Filios autem regni vocat illos, quibus regnum paratum erat; quod maxime illos dolore afficiebat. Postquam ostendit enim illos ex promissione in sinu Abrahae esse, hinc illos statim excludit. Deinde, quia hoc dictum lata sententia erat, id signo confirmat, quemadmodum et signa ex praedictione rerum quae postea evenerunt asserruntur.

Qui igitur non credit tunc sanatum ⁹²⁰ puerum fuisse, is vel ex prophetia, quae iam impleta fuit, inducatur ut credat. Nam prophetia ante eventum ex signo tunc facto nota omnibus fuit. Ideoque cum haec ante praedixisset, tunc paralyticum erexit, ut futura ex praesentibus asserrerentur, et a maiori minus firmaretur. Nam quod virtute praediti bonis fruuntur, hisque oppositi poenas luant, id a verisimilitudine non abhorret: imo et rationi et legum aequitati consentaneum est; paralyticum autem firmare et curare, maius quam natura ferret erat. Attamen ad rem illam magnam atque mirabilem non parum contulit centurio; id quod etiam Christus declarans dicebat: *Vade, et sicut credidisti fiat tibi*. Vidistine quomodo restituta puero sanitas et Christi potentiam et centurionis fidem praedicaverit, et quod futurum erat confirmaverit. Imo vero omnia Christi potentiam praedicabant. Non enim corpus tantum pueri sanavit, sed etiam centurionis animam in fidem per miracula attraxit. Tu vero ne id tantum perpendas, quod hic crediderit, ille sanatus sit, sed rei celeritatem mirare; nam hoc Evangelista declaravit: *Et sanatus est puer in illa hora*: quod etiam de leproso dicebat: *Confestim mundatus est*. Non enim curando solum, sed etiam id inexpectato modo et in momento faciendo, potentiam ostendebat. Neque hoc

modo tantum iuvat utilisque est, sed quod etiam frequenter dum miracula patrat, de regno sermonem aperiat et omnes ad illud attrahat. Etenim cum se Iudaeos eiecturum minabatur, non ut eieceret minabatur; sed ut metu illos in regnum per verbasua pertraheret. Quod si nihil hinc lucri fecerunt, id ipsorum crimen est, omniumque qui pari morbo laborarunt. Non enim Iudaeis solum id accidit, sed multis etiam eorum qui crederunt. Nam Judas filius regni erat et audivit cum discipulis: *Sedebitis super sedes duodecim* (MATTH. XIX, 28); sed factus est gehennae filius; Aethiops autem ille, barbarus cum esset, ex numero eorum qui ab oriente et occidente venerunt, cum Abraham, Isaac et Iacob corona donabitur. Id et nunc agit. *Multi enim, inquit, erunt primi novissimi et novissimi primi* (Ibid. 30). Hoc autem dicebat, ut neque hi negligant, ac si non possint redire, neque illi quasi stantes confidant. Hoc et Ioannes ab exordio praenuntiabat dicens: *Potest Deus ex lapidibus his suscitare filios Abrahae* (Ibid. 3, 9). Quia enim hoc eventurum erat, diu ante praenuntiatur, ut nemo de rei insolentia turbaretur. Verum ille, utpote homo, secundum captum suum haec dicebat; Christus autem, rem ut certissime futuram operibus et exemplis confirmavit.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

(DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 9, N. 30).

L.

⁹²¹ IN Orientali Ecclesia festum Epiphaniae una cum Nativitate Christi coniunctum celebrabatur, quod observat Tillemontius, nota 4 et 9 ad vitam Iesu Chr. Et in Basilii Imperatoris Menologio Graecorum, quod 9^o saeculo scriptum esse constat, vigesima quinta die Decembris utrumque festum celebratur, ut videre est in eodem Menologio Urbini, edito ann. 1727. Vivebat 13^o saeculo incunte

Dionysius, qui etiam Iacobus Bar-Salibi appellabatur. Is Armenorum reprochendit consuetudinem sexta Ianuarii die utrumque Festum celebrandi; ut videre est in eius Opere apud eruditum virum Assemanum Bibliothecae Orient. Clementino-Vaticanae, tom. 2, cap. 32.

SABBATO

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.

IN MATTH. CAP. 8.

CUM autem descendisset de monte, usque, Domine, si vis, potes me mundare. ⁹²²

Istud miraculum potest intelligi post utrumque sermonem Domini factum fuisse, non solum quem Matthaeus, verum etiam quem Lucas interponit, licet alio loco Lucas Marcusque illud commemoraverint. Mystice descensio Domini de monte incarnationem eius significat, et post haec *secutae sunt eius turbae multae*; quia postquam *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, qui antea tantum notus in Iudaea, post admirabilis factus est in universa terra. ⁹²³

Si vis, inquit, potes me mundare. De voluntate Domini non quasi incredulus dubitavit, sed quasi colluvionis suae conscius non praesumit. ⁹²⁴

Et extendens Iesus manum, tetigit eum dicens: Volo, mundare. Extendit curationis manum, qui misericordiae suae proponebat affectum. Tetigit aegrotum, quia in potestate habuit sanitatis effectum. Dixit: *Volo, mundare*. In volo, stendit pietatis clementiam; in *mundare* maiestatis suae potentiam, quia *ipse dixit, et facta sunt*; non ut aliqui putant, iungendum est et legendum, *Volo mundare*: sed separatim, ut primo dicat: *Volo*; deinde imperet *mundare*. Volo autem propter Photinum dicit: imperat propter Arium, tangit propter Manicheum.

Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris. ⁹²⁵ Et revera quid erat necesse, ut sermone

iactaret, quod corpore praeferebat, nisi ut doceret nos non solum a mercede abstinere pecuniae, sed etiam gratiae.

927 *Sed vade, ostende te sacerdoti, et offer manus quod praecipit Moyses in testimonium illis.* Tres ob causas misit eum ad Sacerdotes, primum, quia lex praecipit ut mundata lepra offerrent sacerdotibus munera, deinde ut leprosum viderent mundatum, et salvarentur credentes: aut si non crederent, inexcusabiles essent, et ne legem frangere videretur. Si quem movet, quomodo Dominus Mosaicum videatur adprobare sacrificium, cum id Ecclesia non receperit: meminerit illius sacrosanctum Corporis sacrificium nondum in ara crucis oblatum, nec esse Apostolorum contestatione et fide credentium confirmatum. Mystice vir iste peccatis languidum genus humanum designat, quod extenta manu Salvatoris, hoc est, incarnato Dei Verbo, humanamque contingente naturam ab erroris prisci varietate mundatum est, et sacerdoti ostensum, de quo dicitur: *Tu es sacerdos in aeternum: cui offerunt corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.*

928 *Cum autem introisset Capharnaum, usque, et male torquetur.* Quaeritur quomodo conveniat quod Matthaeus ipsum centurionem ad Dominum accessisse dicat, cum Lucas nuncios ad eum misisse narret? Sed pie quaerentibus patet, quod Matthaeus causa brevitatatis dixerit, accessisse ipsum: cuius voluntas licet aliis deferentibus perlata est ad Dominum. Sicut enim Haemorrhossa, quia credit, magis Dominum tetigit, quam turbae, a quibus premebatur: ita centurio quo magis credidit, eo magis accessit.

929 *Domine, puer meus iacet.* Non in una tantum re miserabilis, quod iacet; sed in alia, quod paralyticus; tertia, quod male torquetur; et hoc ideo, ut angustias animae suae demonstraret, et be-

nevolentiam Domini invitaret: sic decet praelatos sibi subiectis misereri.

Et ait illi Iesus: Ego veniam et curabo eum. Magna Domini sublimitas, sed maior humilitas, qui solo verbo valebat curare, non indignatur servum languentem visitare.

Et respondens centurio ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Propter vitae conscientiam gentilis non ausus est hospitem habere Christum, cuius etsi fide praeditus, nondum tamen Sacramentis erat imbutus.

Sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Magna fides centurionis, qua verbi opus in Christo confitetur.

Nam et ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites. Hominem se potestate subditum dicit, et tamen se minoribus posse imperare: ut subaudiatur. Quanto magis omnipotens Deus super omnia per Angelicam dicere potest militiam, infirmitati ut recedat, et recedit: et sanitati ut veniat, et veniet, unde sequitur:

Et huic dico: Vade, et vadit; et alii: Veni et venit; et servo meo: Fac hoc et facit. Vult ostendere Deum posse implere quod vellet, non tantum per corporis adventum, sed etiam per ministeria Angelorum.

Audiens autem Iesus miratus. Miratur intelligentiam suae maiestatis, quod et nobis mirandum significat. Tales motus cum de Deo dicuntur, non sunt signa perturbati animi, sed docentes magistri.

Et sequentibus se dixit: Non invenit tantam fidem in Israel. Non de omnibus retro Patriarchis et Prophetis loquitur, sed de omnibus aevi praesentis, qui per legem instructi non credebant. Centurio Christo docente minime credit, spontaneam gentium fidem significans.

Dico vobis, quod multi ab oriente, et reliqua. Id est ex omnibus gentibus sicut

oportet Evangelium praedicari, vel ab oriente, qui statim illuminati transeunt: et ab occidente, hi qui passiones pro fide usque ad mortem toleraverunt, recumbent non carnaliter iacentes, sed spiritaliter requiescentes.

938 *Filii autem regni eiciuntur, usque: Et stridor dentium.* Filios regni Iudaeos dicit, in quibus antea regnavit Deus. *Stridor dentium et fletus oculorum,* veram demonstrat resurrectionem membrorum. Interiores quoque tenebras dicit, cecitatem cordis, exteriores quoque noctem aeternae damnationis, ubi duplex ostenditur gehenna, id est, nimii frigoris per stridorem dentium, et intollerabilis esse fervoris per fletum oculorum; ut B. Iob ait: *Ad calorem nivium transeunt ab aquis nivium.*

939 *Et dixit Iesus centurioni, usque: Et sanatus est puer ex illa ora.* Probat fides Domini, et roboratur sanitas servi. Mystice centurio electos ex gentibus ostendit, qui quasi centenario milite stipati, spiritalium sunt virtutum perfectione sublimes.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

(DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 31)

LI.

940 **S**ED ab Orientali ad Occidentalem regredientes Ecclesiam, putamus minime praeterendum, quod in quibusdam Ecclesiis hoc Festum, vigilia et ieiunio praecedente, celebrabatur. Nunc vero Vigilia praecit tantum sine ieiunio. Vide Martene, loc. cit., cap. 14, n. 3. In quarundam Civitatum Ecclesiis etiamnum fit benedictio aquae in Vigilia Epiphaniae; de qua consuetudine egimus in nostro Opere de Canonizat., lib. 4, par. 2, cap. 19, n. 22 et n. 59. Testator Auctor libelli, cui titulus *Gemma Animae*, lib. 3, cap. 6, in hac solemnitate moris fuisse, ut Officia noctu celebrarentur; posteaque sublata esse huiusmodi nocturna pervigilia, quod ex iis gravissima quaedam scandala orientur. Sed in Ecclesia Mediolanensi Ambrosiano ritu magna populi frequentia noctu canitur Matutinum, Galesinio teste, in Notis ad Martyrologium, pag. 13.

VIVES. — Homil. Breu. Rom.

Ritu Ambrosiano ut die Natali Domini de nocte maximo populi conventu Officium Psalmatum hoc die celebratur, accessis more Graeco multis luminibus. Matutinum huius diei Invitatorio caret, et initium fit ab Antiphona et Psalmo, ad significandum, vel magnum interesse discrimen cum invitatu Ecclesiae Fideles excitantur ad psallendum, et cum Herodes Scribas legisque Doctores convocavit, ut intelligeret ubi Christus nasceretur, ut observat Albinus Flaccus, de Divinis Officiis, Tit. de Theophania vel Epiphania; vel ad denotandam Gentium aseritatem, quae, ut primum stella illuxit, in viam se illico dederunt, ut monet Durandus lib. 6, cap. 16, vel quia Psalmus *Veni, exultantes*, quo utimur in Invitatorio, in hoc Officio canitur in tertio Nocturno, ideoque minime visum est, in uno eodemque Officio eundem Psalmum semel et iterum canere, ut notat Martene cit. capit. 14, num. 6, quas omnes rationes refert et probat Gavantus, sect. 6, cap. 7 de Epiphania, num. 3. Decrevit Nicaena Synodus, Pascha una eademque Dominica ab omnibus celebrandum. Orta deinde controversia, quinam tandem certus ille dies esset, quo Pascha esset ab omnibus celebrandum, Patres Nicaeni, quibus compertum erat Aegyptios a vetustissimis usque temporibus astronomiae scientiam omnium maxime coluisse, ad Alexandrum Episcopum Alexandrinum curam eandem rationes astronomicae detulerunt, ut adhibito etiam doctorum virorum consilio, verum cuiusque Paschatis diem constitueret; neque illud negotii Alexandro tantum, sed omnibus Alexandrinis Episcopis eius successoribus datum deinceps voluerunt. Quae omnia refert Baronius ad annum Christi 325 ubi auctoritate S. Leonis ostendit, Alexandrini Episcopi Paschalem epistolam Romano Pontifici mitti semper consuevisse, qui deinde omnibus Ecclesiis Paschalem diem indicabat. Marcus in Notitia Vocabulorum Ecclesiasticorum, verbo *Epiphania*, videtur credidisse, Alexandrini Episcopi litteras recta via ad alias Ecclesias mitti solere, quod de Ecclesiis tantum Aegypti intelligendum putamus, idque insinuat videtur Isidorus, De Ecclesiasticis Officiis, lib. 1, cap. 26, ubi de Epiphania verba faciens haec habet: *Epistola quoque Pontificis Alexandrini ad universas Ecclesias Aegypti vel Monasteria dirigitur, quibus et initium Quadragesimae, et dies Paschae designantur.* Haec omnia confirmat Ioannes Baptista Casalius, de Veteribus sacris Christianorum Ritibus, Romanae edit., ann. 1647, pag. 421, ubi ait, Summum Pontificem acceptam Alexandrini Episcopi epistolam mittere consuevisse Primatibus, et Metropolitanis, ut certus dies illis significaretur, quo Pascha celebrarent, eumque morem retentum, donec Orien-

tales a Romana desciverunt Ecclesia: quo discidio Romani Pontifices, omni communione cum illis abrupta, noluerunt amplius eiusmodi accipere epistolam; cum praesertim Romana Ecclesia mathematicae scientiae tunc temporis abundaret. Nunc vero mos obtinet, ut hac die in Missa, quae in Ecclesia Cathedrali solemmiter celebratur, post Evangelium Archidiaconus, vel Canonicus, vel Beneficiatus, seu quisvis alius iuxta locorum consuetudinem totius ineuntis anni Festa mobilia populo e suggesto denuntiet.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. VIII, 23-27.

In illo tempore: Ascendente Iesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius.

24. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat.

25. Et accesserunt ad eum discipuli eius, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus.

26. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis, modicae fidei? Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.

27. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.
(Habetur integra in Breviario).

Homilia S. Hilarii Episcopi.
IN MATTH. CAP. VIII.

Ret ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli. Et ecce tempestas magna facta est in mari, et reliqua (MATTH. VIII, 23 et seqq.). Navem discipulis introgressis tempestas oritur, mare commovetur, navigantes turbantur. Ipse vero somno consopitus timentium metu excitatur, oratur ut opem afferat. Et increpitis iis quod modicae essent fidei, vento et mari tranquillitatem imperavit, cum admiratione hominum praecipit eius ventum et mare obedisse. Igitur secundum haec Ecclesiae, intra quas verbum Dei non vigilaverit, naufragae sunt: non quod Christus in

somnum relaxetur, sed quod somno nostro consopiat in nobis. Maxime autem illud accidit, ut a Deo praecipue in periculi metu et vexatione speremus. Atque utinam vel spes sera confidat sese periculum posse evadere, Christi intra se virtute vigilante. Perpetuam autem nobis obiurgationis suae recordationem reliquit, dicens: *Modicae fidei, quid timidi estis?* (Ibid. 26) metum scilicet motum saecularium, cum quibus Christi fides vigilet, nullum esse oportere.

Consequitur deinde hominum admiratio dicentium: *Qualis hic homo est, quod venti et mare obediunt ei?* (Ibid. 27). Non discipulorum hic sermo, sed gentium est. Nam cum superius et discipulos tantum navem introisse, et a discipulis tantum excitatum esse dixisset; nunc admiratos esse homines significat, hominibus hominem in ipsa admiratione dicentibus. Qua nominum conversione intelligitur, omnia opera Christi, omnesque eius virtutes ut Dei esse laudandas: quia piaculi gentilis miserrimique erroris stultitiam demonstrat, quod eum ex humilitate passionis hominem potius nuncupent, quam ex virtutibus Deum.

Varia de Sanctif. fest., ex Benedicto XIV.
(INSTITUTIO 43. n. 14, 15).

XIV.

FINEM sermone imponimus Concionatores, et Patros omnes magnopere admonentes, ut quoties ad populum verba faciunt, eius praecipit gravitatem explanent, quo dierum festorum celebritates excolendae indicantur. Non ignorant quidem naturae ipsius praeepto homines obstringi ut dies aliqui Deo optimo Maximo consecrarentur. In veteri Testamento illud iussum fuerat: *Memento, ut diem sabbati sanctifices....; sex enim diebus fecit Dominus coelum, et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, et requievit in die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum* (EXOD. XX, 11). Apostoli vero diem Dominicum sabbati loco succederunt, quod eo die Salvator noster ad immortalitatem vitam surrexerit. Hinc in Apocalypsi

FERIA SECUNDA

Homilia S. Ioannis Chrysostomi.

IN MATTH., ROM. 22.

LUCAS, ne quis ab ipso temporum ordinem exigeret, sic ait: *Factum est in una dierum, et ipse ascendit in naviculam, et discipuli eius* (LUC. VIII, 22). Marcus quoque similiter. Hic vero non item, sed temporum quamdam servat seriem. Neque enim omnia omnes eodem modo describunt: id quod a me iam supra dictum est, ne quis ex omissione dissonantiam inter ipsos esse putaret. Turbis itaque praemissis, discipulos secum assumpsit: nam hoc illi dicunt. Assumpsit autem non frustra, nec sine causa, sed ut futuri miraculi spectatores essent. Quemadmodum enim palaestrae magister optimus, ad utrumque illos exercebat, ut in malis imperterriti essent, et in honoribus modesti. Ne altum enim saperent, quod missis aliis, ipsos retinisset, tempestatem permittit, tum ut hoc efficeret, tum ut eos ad ferendas fortiter acumnas exerceret. Nam magna quidem erant priora signa, sed praesens signum non parvam quamdam exercitationem afferebat, ac veteri cuidam signo simile erat. Ideoque solos secum adducit discipulos. Nam ubi miracula edebantur, populum sinit adesse: ubi vero pericula et terrores, discipulos, athletas nempe orbis, quos exercitaturus erat, solos secum assumit. Matthaeus solum dicit, ipsum dormivisse, Lucas vero addit, in cervicali, ostendens quam esset a fastu alienus, et ad magnam inde philosophiam non instituens. Oborta itaque tempestate, cum fureret mare, illum excitant dicentes: *Domine, salva nos, perimus*. Ipse vero illos primum, deinde mare increpavit. Nam ut dixi, exercitationis causa haec permittebantur, et figu-

S. Ioannis cap. 1, habetur: *Fui in Spiritu in Dominica die*. Sed quoniam in veteri lege praeter sabbati celebritatem, alii quoque dies festi designati fuerunt, ut praecleara Dei opera debita religione ac memoria Iudaei prosequerentur, et fortia gesta praestantium mulierum celebrarent Iudith, Esther, Machabaeorum, aliorumque, qui inter ipsos Iudaeus immortalis sibi gloriam, et laudem comparaverant, profecto in nova Lege per Apostolos etiam solennes aliqui dies instituti fuerunt, ut praecipuis Religionis mysteriis, invictisque Fidelibus Sacri honores decernerentur.

944 Certissimum pariter est oportere, ut non modo patrefamilias dies festos colant, sed liberos etiam suos, ac domesticos ad hoc praeeptum observandum impellant. Quare post allata superius Exodi verba, haec subiciuntur v. 10: *Non facies omne opus in eo tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, iumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas*. Neque profecto Dei voluntati satisfaci, qui solum dierum festorum celebritates in eo constituit, ut rei divinae intersit, et a servilibus operibus absteineat; non vero contendit omni studio, ut Deo vero cultum exhibeat; nec ulla peccati labe per dies festos inquinetur, ut per Isaiam Deus ipse declarat: *Neomeniam, et sabbatum, festivitates alias non feram, quia qui sunt coetus vestri, Calceas vestras, et solennitates vestras, odisti anima mea; et per Malachiam: Dispergam super cultum vestrum stercus solennitatum vestrarum*.

945 XV. Tandem plane cognitum est, ac perspectum eos, qui dies festos contempserint, etiam in hac vita puniendos, uti Deus per Ezechielem indicavit: *Sabbatu mea violaverunt vehementer: dixi ergo, ut effunderem furorem meum super eos, et consumerem eos*. Libro autem Numerorum traditur, Iudaeum quemdam, qui die sabbati ligna congregabat, in potestatem Moysis, et Aaron proditum fuisse, ipsorumque iussu in carcerem detrusum, sed cum incerti essent quid de illo statuendum videretur: *Dixit Dominus ad Moysen: morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra*. Nostris quoque temporibus certissima divinae ultionis argumenta sub oculis versantur. Nam ceteris omnibus omissis, messen hoc anno uberrimam speravimus, quam tamen exiguam, ac tenuem congressimus. Id vero non dictum a nobis temere putandum est, sed ex Sacris Litteris aperitissime deprehenditur ex contemptu dierum Festorum id potissimum dimanare: *Custodite* (inquit Deus) *sabbata mea, etc. et dabo vobis pluviam temporibus suis, et terra signet germen suum, et pomis arboribus replebitur*.